



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. 4. An mulier per secundas nuptias amittat tutelam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

Colliges 2. hanc proprietatis amissionem intelligi solum de illis, quæ Uxor acquisivit ex bonis prioris mariti, & quidem solum gratuito, ac merè liberali titulo. 1. pars est ex *L. 3. cit. num. 1817. ibi: ex facultatibus, & bonis priorum maritorum.* 2. pars ex priori numero. Et ideo etiam proprietatem retinet eorum bonorum, quæ à priore marito habet *oneroso titulo.* Sic Haunoldus *cit. n. 474.*

1819. Hinc sequitur. 1. quòd mulier transiens ad secundas nuptias non amittat proprietatem Morgengebæ, seu doni matutinalis; nam hoc non habet à viro priori *merè gratuito*, sed *oneroso*; secus est de Sponsalicia largitate propter rationem contrariam à n. 1707.

Sequitur 2. donata Uxori, contemplatione mariti non venire inter bona, quæ illa habeat à marito ex titulo lucrativo, quorum per secundas nuptias proprietatem amittit, quia illa non sunt ex *facultatibus, & bonis mariti*; at solum de his jura loquuntur, ut constat à n. 1817. ergo. Nec valet paritas ducta à bonis profectitiis, quæ donantur filio intuitu Patris, vel arrogato intuitu arrogantis. Nam hi sub eorum potestate patria sunt; secus Uxor respectu mariti, licet ei subiecta sit, quoad functiones conjugales. Et ideo nec donata socio intuitu societatis acquiruntur huic, sed sunt illi propria, cui donata sunt, ut dicitur. *L. 60. ff. pro Socio.*

Sequitur 3. donationes vicissitudinarias, seu reciprocas, non esse inter lucra, quorum proprietatem mulier per transitum ad secundas nuptias amittit; deducitur ex *num. 1817.* quia tales donationes sunt ex titulo *oneroso.* Aliud est de illis lucris, quæ aut vigore statuti, aut reciproci pacti in casum alterius præmorientis superstes acquirunt. Nam ratio conventionis non tollit rationem *lucris*, ut patet in casu ludentis cum periculo perdendi; vel lucrandi.



§. 3.

Quantum mulier binuba possit afferre secundo viro?

Circa hoc constitutum est, ne vir, vel foemina ad secunda vota transiens, possit novo conjugii dare in dotem, vel alio titulo plus, quam dederit sive in vita, sive in morte uni ex filiis prioris matrimonii, cui minus dedit. *L. Hac est Ali. 6. C. de 2. nupt.* Si autem secundo viro plus dederit, quoad excessum irritum erit, ut ibid. dicitur. Et hoc confirmatur in Novell. 22. c. 41. ibi: *nisi secundas Pater contraxerit nuptias; sit enim & hac secundo nubentibus poena.* Et quamvis hic sermo sit de satisfactione servandorum legatorum causæ; à fortiori tamen procedit in lucris? Nam in his Pater, & Mater, quoad cautionem, æquiparantur per *cit. L. 6. §. 1. C. b. t. Plura* vide apud Sanchez *hic l. 7. D. 88. n. 3.*

Apud eundem, & cum primis Caltepalauum *de spons. D. 4. p. 13. §. 3.* invenies quæstionem resolutam. 1. an Mater transiens ad secunda vota, amittat executionem testamenti? ad quam ibid. n. 10. respondit negativè. 2. an potestas testandi à marito Uxori concessa expiret ob transitum ad secundas nuptias? & *num. 11.* resolvit negativè. 3. an ipso jure privetur educatione filiorum; quod pariter n. 14. negativè resolvit, quin hoc ad Patrem, ad secundas nuptias transeuntem extendatur. 4. an mulier propter transitum ad secundas nuptias amittat tacitam hypothecam, quam vidua habet in bonis mariti cum jure prælationis? ubi & hoc negat n. 27. cum Sanchez *cit. D. 88. n. 34.*

§. 4.

An mulier per secundas nuptias amittat tutelam?

Resp. quòd sic; nam tertia poena nubentis secundò, seu potius provisio legalis in favorem liberorum prioris conjugii est, ut vir secundò nubens amittat filiorum tutelam. *L. fin. & authent. Sacramento. C. quando mulier tutelæ officio, & authent. ut sine prohibitione Mariti. S. unic. collat. 7.* Idem est, si curatrix filiorum sit; quia dispositum in tutela, censetur in curatoria dispositum. *arg. quod si nolit, S. quod in pro.*

in procuratore. ff. de adilitio edicto: hoc tamen non procedit propter sola Sponsalia de futuro; quia hæc non sunt nuptiæ; nec sufficit ad tutelam amittendam, matrimonium esse ratum tantum; quia cum hæc dispositio sit odiosa, restringi debet ad matrimonium in esse perfecto, quod non est, nisi sit consummatum; ita Castropalaus cit. p. 3. §. 13. n. 4.

1822. Not. autem in hoc casu tutelam amitti ipso facto, ita Sanchez cit. D. 88. num. 10. plurimos pro eadem sententia referens. Nam tutor sub conditione datus, cessat, si conditioni non pareat. L. Tutor datus. ff. de testament. tutela. Matri autem tutela censetur data sub conditione, si non transeat ad secundas nuptias, ut pater ex iuramento, quod in susceptione tutelæ præstat; & supponi videtur in c. Ex parte M. de appellat. ibi: *predicti filii ejus, sub potestate, & tutela ipsius minime manerent.* Unde quando in authent. Sacramenta. C. quando mulier tutelæ officio, dicitur, *convenire*, seu conveniens esse, *contractis secundis nuptiis, eam expelli à tutela*; ex quo aliqui volunt, eam esse expellendam ex honestate, non necessitate: textus loquitur de expulsiōe facti, non juris, eo modo, quo matrimonium ipso facto nullum solvitur, non rescissione vinculi, cum nullum sit; sed declaratione nullitatis, & separatione etiam quoad factum, non quoad jus, cum tunc ei nullum sit.

1823. Si quæras, an mulier per secundas nuptias amittat tutelam, esto viri testamento scripta sit tutrix? Resp. quod sic. Et hoc juxta communem procedit in casu, quo maritus Uxorem constituit absolutè, & simpliciter tutricem in testamento: si autem cum clausula, *esto ad secunda vota transeat*, saltem Judicis officio expelli posse. Primam partem cum aliis ibidem relatis tenet Sanchez cit. D. 88. num. 8. arg. Authentica de Nupt. Collat. 4. §. *si autem tutelam.* vers. *Nos autem*, ubi textus secundò nubentem, quoad tutelam coarctat illi, qui nubit infra annum luctus; sed hic incapax est cujuscuq; tutelæ.

Accedit, quod leges matrem excludentes à tutela, *indefinitè* loquantur de tutela, & fundentur in suspitione malæ administrationis, & dissipationis

bonorum propter affectum in novum virum; ergo intelligendæ sunt de tutela tam legitima quàm testamentaria. Nec obstat, quòd à viro designata sit in testamento. Nam ejusmodi designatio non operatur tutelæ retentionem in casu secundarum nuptiarum, saltem ubi hoc expressum non est, sed tantum, ne Uxor suscipiens tutelam satisfacere obligetur, ut constat ex *Instit. tit. de satisfac. Tut. in princip.*

Secundam verò partem (quòd etiam apposita expressè clausulà, ut tutelam habeat, licet ad secunda vota transeat, adhuc per Judicem expelli possit, & debeat) negat Baldus in c. Ex parte M. de appellat. n. 2. Sanchez cit. n. 9. quia Maritus per hanc designationem *qualificatam*, omnem suspitionem removet; cum eam per hoc submoveat ab extraneo; ergo à fortiori ab Uxore, quam meritò creditur melius nosse.

Contrarium tamen videtur probabilius. 1. quia dispositio juris, Uxori, ad secunda vota transeunti, auferens tutelam, respicit bonum, & favorem filiorum; ne, ut communiter fit, matre in tali casu tutelam retinente, incurrant periculum malæ administrationis, & bonorum dissipationis, accedente novo marito, & liberis ex illo; hanc autem suspitionem, quæ perquam frequenter contingit, nec purgat mariti bona opinio de hac privata persona, & Uxore sua; nec etiam ullo jure illi concessum est, legibus, *hoc communi periculo & suspitioni prudenter subnixis*, privata viri designatione, derogare: ergo. Sic Anton. Gomez, & alii, quos citat & sequitur Castropalaus de sponsal. D. 4. p. 13. §. 3. num. 7. qui num. 8. censet probabilius, hoc non extendi ad Patrem; cum hæc leges penales in hoc puncto semper loquantur signatè de matre non Patre; præsertim, cum Patres ob novum conjugium non ita facile perdant priorum filiorum amorem, sicut mulieres, quæ levioris sunt ingenii; arg. L. Lex, quæ tutores. C. de administrat. tutorum.

